

INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (31)

4.11. De intitio missiologiae catholicae deque contributione Ottiliano-rum ad has scientias

4.11.1. Quomodo missiologia catholica incohata atque progressa sit

Cum Congregatio Ottiliensis fundata esset ut missionaria, ab initio necessarium erat, ut ipsi Ottiliani etiam theoretice in perceptionem missionariam incumberent vel experientias suas practicas scripto modo divulgarent.¹ Tamen primis viginti quinque annis, quibus haec Congregatio exstitit, hae inquisitiones atque deliberationes imprimis ad propriam consociationem eiusque scopos spectabant, quae insuper ad scientificam disciplinam catholicam specialiter missiologicam systematice institutam referri non potuerunt,² quia talis disciplina nondum exstebat. Tots autem conexus missiologiae catholicae instituendae eiusque progressus ipsi rei missionariae et hunc in modum Congregationi quoque Ottiliensi erat magni momenti. Specialiter autem et ipsa Congregatio Ottiliensis et quidam monachi Ottiliani cum missiologiā coniuncti erant. Itaque hos eventūs, qui ad missiologiam instituendam duxerunt, hasque condiciones hōc locō paulo fusius explicare opportunum esse mihi videtur.

In initio saeculi vicesimi generaliter in Germaniā clima vigebat, quod missio-ni favebat, id quod praeter alia certe cohaerebat quoque cum condicione, quā Germania illo tempore colonias possidebat et sic missio in «propria» regione extera fieri potuit. Tamen ut missiologia catholica revera instituta sit, etiam aliae coincidentiae respiciendae sunt. Haec enim motio varias radices habuit.

Apud illos catholicos, qui practice atque quadamtenus theoretice in missio-nem eiusque historiam incubuerunt, iam pridem desiderium exortum erat, quo diversos aspectūs missionis scientifice tractandos esse putaverunt.³ Nam

1 Cfr supra imprimis cap. 2.2.2, 4.4., 4.9.2.4.

2 Similis condicio scilicet etiam aliis consociationibus missionariis erat.


3 Apud protestantes iam decursū saeculi undevicesimi missiologia instituebatur. Praedecessor magni momenti hac in re erat Gustavus Warneck. Idem inde ab anno 1874^o periodicum edidit, cui titulus est «*Generale Periodicum Missionis*» [«*Allgemeine Missions-Zeitschrift*»]. Eius liber primā vice anno 1882^o divulgatus, qui inscribitur «*Compendium historiae missionum protestanticarum*» [«*Abriß einer Geschichte der protestantischen Missionen*»] tamquam opus fundamentale percipitur et eius opus ex quinque voluminibus constans, quod est «*Protestantica doctrina missionaria*»

scientiam, quod attinebat ad missionem argumentis firmatam, ad theoriam missionariam atque cognitionem missionis, esse mancam existimaverunt. Nihilominus diutius nihil definitivum hac in re factum est, etiamsi discrepancia inter progressum, quem protestantes hac in re iam fecerant, saepius commemorata est.⁴ Impetum autem incitantem exseruit Princeps Aloisius zu Löwenstein oratione suā, quam aestate anni 1909ⁱ Vratislaviae⁵ in Conventu generali Catholicorum Germaniae habuit.⁶ Ibīdem enim praeter alia, quae

[«*Evangelische Missionslehre*»] et quod inter annos 1892^{um} atque 1903^{um} divulgatum est, etiam extra protestantismum magnum effectum exseruit. Praeterea Gustavus Warneck primam universitariam cathedram missiologie (scilicet protestantiae) obtinuit, quae anno 1896^o Hallae Saxonum [Halle] instituebatur. - *Cfr* ex. gr. Werner USTORF: s.v. Missionswissenschaft. In: Theologische Realenzyklopädie 23 (1993), p. 93; Giancarlo COLLET: s.v. Missionswissenschaft, Missiologie. In: LThK 7 (1998), col. 324; Horst RZEPKOWSKI: Professor Dr. Josef Schmidlin, Begründer der katholischen Missionswissenschaft. In: Verbum SVD 35, 1994, p. 167, adn. 37; Christoffer H. GRUNDMANN: s.v. Warneck, Gustav. In: LThK 10 (2001), col. 980; Werner RAUPP: s.v. Warneck, Gustav. In: Biographisch-Bibliographisches Kirchenlexikon 13 (1998), coll. 359 sqq.

- 4 Ut ex. gr. Mariano DELGADO / David NEUHOLD: 90 Jahrgänge ZMR und 95 Jahre IIMF. Einige Aspekte ihrer Geschichte. In: Zeitschrift für Missionswissenschaft und Religionswissenschaft (= ZMR) 90, 2006, p. 276 diudicant, theologica disciplina missiologica primo in protestantismo instituebatur, quia idem rei publicae patriae propinquior erat quam catholicismus magis globalis. *Cfr* etiam supra cap. 2.2.3, *Digressio*: De conflictū culturali.
- 5 Vratislavia: *Breslau*. - *Cfr* Carolus EGGER: Lexicon nominum locorum. Romae 1977, p. 61; GRAESSE / BENEDICT / PLECHL: Orbis Latinus. Lexikon lateinischer geographischer Namen des Mittelalters und der Neuzeit. Braunschweig 1972, 3, p. 651.
- 6 Ad hanc orationem, quae existimatur maximi momenti fuisse, in inquisitionibus relationibusque posterioribus iterum iterumque refertur. - *Cfr* ex. gr. Laurenz KILGER: Ein Lustrum katholischer Missionswissenschaft in Deutschland. In: Zeitschrift für Missionswissenschaft (= ZM) 6, 1916, pp. 2 sq.; Robert STREIT: Das internationale Institut für missionswissenschaftliche Forschungen. Aachen 1923, p. 8; Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. Zu ihrem 20jährigen Bestand. In: ZMR 21, 1931, p. 5; Otto MAAS: 25 Jahre Institut für missionswissenschaftliche Forschungen. In: ZMR 25, 1935, p. 214; Karl MÜLLER: Joseph Schmidlin, Leben und Werk. In: Josef GLAZIK (ed.): 50 Jahre katholische Missionswissenschaft in Münster 1911-1961. Festschrift. Münster 1961, p. 24; Anton FREITAG: Mission und Missionswissenschaft. Kaldenkrichen 1962, p. 91; Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1876-1944). Papsthistoriker und Begründer der katholischen Missionswissenschaft. Nettetal 1989, pp. 74 sq.; Antonia LEUGERS: Interessenpolitik und Solidarität. 100 Jahre Superioren-Konferenz, Vereinigung der Deutschen Ordensobern. Frankfurt/M 1999, p. 70; Mariano DELGADO / David NEUHOLD: 90 Jahrgänge ZMR. In: ZMR 90, 2006, p. 276; Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen in Münster am Anfang des 20. Jahrhunderts - ein

erant alicuius momenti, dixit⁷ missiones esse actiones ecclesiae docentis ad fidem Christianam propagandam, quā de causā eaedem essent officium ecclesiae fundamentale. Quod tamen mandatum Christi iam in euangeliis crebro inveniretur. Itaque inde ab initio Christianismi usque ad tempus praesens, cum ad naturam ecclesiae spectaret, missionem, id est propagationem fidei semper institutam esse. Nihilominus animadvertisendum esse tempus praesens (id est initium saeculi vicesimi) variis ex causis⁸ occasionem maxime opportunam praebere, quae magis universalis esset et quā missio Christiana necessario maiore impletū exerceretur augereturque. In coloniis ergo modo magis strenuo progrediendum esse, cum res veteres corruerent atque missioni curandum esset, ut nova vita ex parietinis exoriretur.⁹ Periculum autem - non solum in aliis religionibus velut in Mohametanismo - etiam exstare in ipsis coloniis, qui magnā ex parte religiose indifferentes essent atque inferioritatem moralem monstrarent.¹⁰ Indigentiam igitur missionis multo maiorem esse quam prioribus temporibus. Deinde Aloisius zu Löwenstein imprimis monuit cooperationem laicorum catholico-



Aloisius zu Löwenstein.
[Bericht Generalversammlung 1909,
p. 272 a.]

prophetisches Zeichen? In: ZMR 96, 2012, p. 9

- 7 *Cfr* Bericht über die Verhandlungen der 56. Generalversammlung der Katholiken Deutschlands in Breslau vom 29. August bis 2. September 1909. Breslau 1909, pp. 199 sqq. (Rede von Fürst Alois Löwenstein). - Haec oratio etiam divulgata est in Ottiliensi periodico, quod est «*Paginae missionariae*» [Das katholische Missionswesen. Rede des Fürsten zu Löwenstein-Wertheim auf dem Katholikentag zu Breslau. In: Missionsblätter 14, 1909/10, pp. 25-28, 35-38].
- 8 Inter quas causas enumeravit inquisitionem paene perfectam terrae, distributionem regionum, quas «populi feri» sic dicti incolunt, sub dicionem «potestatum culturalium» (id est colonialismus) atque perceptionem sui ipsius paulatim expurgiscentem, quam gentes iam pridem culturales tunc excoolerent.
- 9 *Cfr* oratio Aloisii zu Löwenstein (1909), p. 203.
- 10 *Cfr* oratio Aloisii zu Löwenstein (1909), p. 204.

rum in opere missionario quoad indigentias extraordinarias esse parvam neque sufficientem. Nam multo maiorem summam pecuniariam ab hominibus laicis esse erogandam, ut haec omnia sustentarentur, quae domūs missionariae ficerent, id est missionarios erudire, in regionibus missionariis stationes condere, cappellas scholasque aedificare, magistros accire et sic porro.¹¹ His multis operibus non solum orando, sed etiam pecuniā auxilium ferendum esse, ut postulavit, et hōc quidem modō praeordinatō, praesertim cum quam plurimi homines fierent sodales variarum consociationum missionarum et cum pecuniā maioribus consociationibus missionariis ad distribuendum daretur vel etiam cum maiores summae pecuniariae statim certis domibus missionariis tribueretur.¹² Ceterum Aloisius zu Löwenstein cogitationem concitavit, ut academicae consociationes missionariae studentium catholicorum instituerentur, quibus in spatium temporis futurum homines docti erudirentur, qui aliquid de missione intellegenter atque missione inflammati essent.¹³ Ceterum Aloisius zu Löwenstein quasi obiter rem quandam maioris momenti protulit. Dixit enim episcopos certe solutionem aptam inventuros esse, quā condicionem adhuc mancam mederentur, si revera apud sacerdotes futuros scientia missionis tam necessaria nondum esset in statū optabili neque temporibus praesentibus adaptata.¹⁴ His vero verbis caute prolati idem quadamtenus digitum imposuit in necessitatem omnino nondum expletam, cuius promulgatione sub variis aspectibus opus erat.

Haec vero oratio non solum magno plausū magnoque entusiasmo recepta est, sed etiam effectū practicos exseruit. Nam in disputationibus participes sibi magis consciī redditī sunt magnam differentiam in comparatione protestantium adhuc extare, quae superanda compensandaque esset institutionibus fundandis, quibus inquisitio scientifica, docentia eruditioque in rebus missionariis magis officiales fierent et quae etiam propagationi huius scientiae ministrarent.¹⁵ Itaque iam inter ipsum Conventum generalem Catholico-

11 *Cfr* oratio Aloisii zu Löwenstein (1909), pp. 208 sqq.

12 *Cfr* oratio Aloisii zu Löwenstein (1909), p. 210 sq.

13 *Cfr* oratio Aloisii zu Löwenstein (1909), p. 211.

14 *Cfr* oratio Aloisii zu Löwenstein (1909), p. 207.

15 Friedrich SCHWAGER: Die pastoralen Mittel zur Hebung des heimischen Missionswesens. In: ZM 2, 1912, pp. 269 sqq. ad orationem Aloisii zu Löwenstein referens quasdam res hōc in conexū necessarias enumeravit, quae iam incohatae essent, sed nondum sufficienter exstant. Sic ex. gr. commemoravit materias practicas, quae ad catechesim, homilia, institutiones religionis utiles essent, praeterea preces pro missione, festa missionaria,

rum¹⁶ Commissio misionaria instituebatur atque conventum speciale con-vocare constitutum est.¹⁷ Ille conventus specialis - primus huius generis - deinde iam die 22º m. Ian. a. 1910º Berolini locum habuit, quo progressus insequens magis incitatus est.¹⁸ Hunc conventum sub praesidio Aloisii zu Löwenstein participaverunt triginta tres homines ex regione politicā ecclasticāque,¹⁹ inter quos etiam erant periti rerum missioniarum velut P. Amandus Acker,²⁰ Abbas Norbertus Weber, P. Fridericus Schwager, P. Iose-

curam vocationum munerumque missionariorum. Magni momenti ei etiam erant consociationes missionariae, sed secundum eius opinionem ii, qui in patriā aliquid pro missione facere vellent, sustentarent praesertim Ordines missionarios atque domos missionarias, quibus officium est, ut satis magnum numerum ipsorum missionariorum Sororumque erudirent. - Simile thema etiam tractavit Iosephus Schmidlin, qui deliberationibus suis imprimis clerum patrium respexit. *Cfr* Josef SCHMIDLIN: Die Notwendigkeit der Mitarbeit des heimatlichen Klerus am Werke der Heidenmission. In: ZM 2, 1912, pp. 189 sqq. - Cum autem hic textus legatur, animadvertisit auctorem ibidem expicationes atque argumenta omnino éadem protulisse ac Aloisius zu Löwenstein oratione suā anno 1909º habitā.

- 16 Ceterum scitū dignum est huius Conventū generalis Catholicorum sodalem quoque fuisse episcopum Thomam Spreiter, Vicarium Apostolicum Daressalamensem, ut ex indice apparet. - *Cfr* Bericht über die Verhandlungen der 56. Generalversammlung der Katholiken Deutschlands in Breslau vom 29. August bis 2. September 1909. Breslau 1909, p. 583.
- 17 *Cfr* Laurenz KILGER: Lustrum. In: ZM 6, 1916, p. 3; Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, p. 5; Johannes PIETSCH: P. Robert Streit O.M.I. Ein Pionier der katholischen Missionswissenschaft. Schöneck / Beckenried 1952, p. 14; Anton FREITAG: Mission und Missionswissenschaft (1962), p. 91; Karl MÜLLER: Joseph Schmidlin. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), p. 25; Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen. In: ZMR 96, 2012, p. 11.
- 18 De conventū *cfr* ex. gr. Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen. In: ZMR 96, 2012, p. 11; Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, p. 5; Anton FREITAG: Mission und Missionswissenschaft (1962), p. 91; Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), pp. 75 sq.; Robert STREIT: Internationales Institut (1923), pp. 9 sq.
- 19 *Cfr* Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), p. 75; Karl MÜLLER: Friedrich Schwager (1876-1929). Pionier katholischer Missionswissenschaft. Nettetal 1984, p. 40.
- 20 P. Amandus Acker (1848-1923), qui ipse diu in missione Africae Orientalis operatus erat (*cfr* supra cap. 2.3.3.2), ad Patres Spiritū Sancti pertinebat et per multos annos eorum Superior provincialis in Germaniā erat.

phus Froberger,²¹ P. Robertus Streit, P. Antonius Huonder.²²

Tamen erant imprimis tres viri, qui illo tempore institutionem missiologiae promoverant et cum quorum nominibus progressus totius motionis artissimē coniunctus est, nempe P. Fridericus Schwager, P. Robertus Streit et Iosephus Schmidlin.

P. Robertus Streit,²³ qui iam antea in studia quaedam missiologica incubuerat, in Conventū Berolinensi relationem habuit, quae programmatica appellari potest et cui titulus erat «*De officiis atque muneribus scientiarum erga missionem*». ²⁴ Ibīdem clare atque distincte condiciones, desideria atque postulata protulit. Dixit enim inter scientias esse officium praesertim theologiae in missionem inquirere, quā de causā mirandum esset, quod theologia de hōc themate taceret. Tamen praeter hanc condicionem, quā in theologiā mentio missionis fieret, omnino necessariam esse propriam scientificam theologiam missionariam, quā ille modus agendi eiusque causae deliberationibus theoreticis tractarentur. Nam quo magis actiones missionariae extenderentur, quo magis complexa fieret missio atque quo maiores indigentiae exorirentur, eo maiorem fore necessitatem, quā viro pratico vir scientificus

21 P. Iosephus Froberger (1871-1931) ad Patres Albos pertinebat, qui quoque in missionem exteram incumbebant. P. Iosephus Froberger inter annos 1905^{um} et 1911^{um} eorum Superior provincialis in regione Germaniae erat

22 P. Antonius Huonder (1858-1926) erat sodalis Societatis Iesu et in Germanicā motione missionariā alicuius momenti erat. Inter annos 1902^{um} et 1912^{um} atque inter annos 1916^{um} et 1918^{um} idem erat redactor periodici, cui titulus est «*Missiones Catholicae*» [«*Katholische Missionen*】.

23 P. Robertus Streit (1875-1930), qui pertinebat ad Congregationem Missionariorum Oblatorum Beatae Mariae Virginis Immaculatae (OMI), multum inquisivit in historiam missionis eiusque fontes atque in quaestionem missionis theoretice tractandae. Anno 1924^o Romam vocatus est, ut in exhibitione missionariā in Vaticano instituendā auxilium ferret. Inter annos 1905^{um} et 1912^{um} responsalis redactor periodici Oblatorum erat. De eius vitā operibusque *cfr* Johannes PIETSCH: Robert Streit (1952), pp. 7 sqq.; Norbert M. BORENGÄSSER: s.v. Streit, Robert. In: Biographisch-Bibliographisches Kirchenlexikon 11 (1996), coll. 48 sqq.; Norbert M. BORENGÄSSER: s.v. Streit, Robert. In: LThK 9 (2000), coll. 1044 sq.

24 Robert STREIT: Die Pflichten und Aufgaben der Wissenschaft gegenüber der Mission. In: Lorenz WERTHMAN (ed.): Konferenz der Missionskommission des Zentralkomitees der Katholikenversammlung Deutschlands am 22. Januar 1910 im Katholischen Vereinshaus zu Berlin. Freiburg / Br. 1910, pp. 37 sqq.

auxilium ferret.²⁵ Condicionem mancam apud catholicos his in rebus vigen-tem Robertus Streit expressis verbis deploravit, cum ne unum quidem opus scientificum ad theologiam missionariam spectans a catholicis exaratum divulgatumque esset²⁶ neque theologia practica hōc thema sufficienter tractaret. Praeterea adhuc multa facienda restare dixit in historiā missionis, quae tractanda esset unā cum disciplinis auxiliaribus geographiā missionariā atque statisticā missionariā.²⁷ Maxima autem indigentia ei videbatur esse periodici cuiusdam scientifici specialiter ad missionem spectantis, quod catholicum nondum inveniretur.²⁸ Similiter ei cordi erat relatio inter studiorum universitates atque missionem, cum missio in talibus insitutis academicis exstare non videretur.²⁹ Cum autem - sic erat conclusio Roberti Streit - catholici tractationem scientificam missionis usque tunc neglexissent, tria postulata generalia protulit:³⁰ primo in theologicis libris didascalibus, in pralectionibus seminariisque theologicis atque in studiorum universitatibus missio multo magis respicienda est. Secundo erudiendi sunt specialistae disciplinae scientificae missionariae. Tertio id agendum est, ut missio quoque catholicā cathedralē speciali repraesentetur, quia eādem non solum cogitatio missionis

25 *Cfr* Robert STREIT: Die Pflichten und Aufgaben der Wissenschaft gegenüber der Mission. In: Lorenz WERTHMANN (ed.) (1910), p. 38.

26 *Cfr* etiam Robert STREIT: Die theologisch-wissenschaftliche Missionskunde. Paderborn 1909, pp. 4 sqq., ubi īdem opera, quae sensū angustiore atque latiore quoque ad inquisitiones missiologicas spectant, indicavit, enumeravit comprehenditque demonstrans maiorem partem illorum titulorum a protestantibus conscriptam esse atque lucubrationem theologicō-scientificam doctrinae missionariae omnino nullam exstare catholicam. Tamen iam illo in libro Robertus Streit sententiam suam verbis expressit, quā actio missionaria practica, quae per se intellegeretur, praeterea indigeret argumentis theoretice deliberatis, quibus eius causae, eius ius, eius scopi sub aspectibus historicis atque methodologicis explicarentur.

27 Robert STREIT: Die Pflichten und Aufgaben der Wissenschaft gegenüber der Mission. In: Lorenz WERTHMANN (ed.), pp. 39 sq. - Ibīdem etiam indicia quaedam praebet, ubi fontes uberrimi inveniri possent.

28 *Cfr* Robert STREIT: Die Pflichten und Aufgaben der Wissenschaft gegenüber der Mission. In: Lorenz WERTHMANN (ed.), p. 39. - *Cfr* etiam Robert STREIT: Die theologisch-wissenschaftliche Missionskunde (1909), p. 14, quo loco auctor iam deplorat periodicum missionis scientificum non exstare, quo in theoriam missionariam atque in methodologym missionariam inquireretur.

29 Robert STREIT: Die Pflichten und Aufgaben der Wissenschaft gegenüber der Mission. In: Lorenz WERTHMANN (ed.), p. 40.

30 Robert STREIT: Die Pflichten und Aufgaben der Wissenschaft gegenüber der Mission. In: Lorenz WERTHMANN (ed.), pp. 42 sq.

hominibus eruditis propinquior fieret, sed talis cathedra etiam ipsis missionariis practice operantibus magno auxilio esset.

Hae deliberationes propositaque Roberti Streit erant - ut videbimus - magni momenti, quod attinet ad progressum missiologiae instituendae. Primus autem effectus erat in eo, quod die 23^o m. Ian. a. 1910^o Consilium centrale Conventuum catholicorum in sessione suā petitiones a Commissione missionariā exhibitas unanimiter accepit. Eodem autem anno 1910^o P. Robertus Streit Commissione missionariā rogante scriptum exaravit, cui titulus erat «*De historiā missionariā sub condicione suā praesente respectā deque proposito bibliographiae missionariae*»,³¹ quo textū imprimis agebatur de quaestione, quomodo plurimis variisque fontibus adhibitis bibliographia missionaria componeretur, quā iis, qui scientifice in historiam missionis inquisituri erant, materiae ad manum darentur.³²

Similiter Iosephus Schmidlin eodem anno a Commissione missionariā rogatus est,³³ ut textum componeret, quo ageretur «*De rationibus academicis ad patriam curam missionis augendam*».³⁴ Ibīdem ille demonstravit tres modos esse aptos opportunosque, nempe academicas consociationes missionarias, quibus imprimis studentes, sed etiam alii academicī coniungerentur, praelectiones seminariaque missiologica atque fundationem periodici missiologici. Erat autem mira coincidentia rerum, quā Iosephus Schmidlin, qui postmodum plurima ad missiologiam instituendam, stabilendam augendamque attribuit, illo tempore ad hanc disciplinam pervenit.³⁵ Nam anno 1907^o in studiorum

31 «*Die Missionsgeschichte in ihrer gegenwärtigen Lage und der Plan einer Missionsbibliographie*».

32 Cfr Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), p. 78; Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen. In: ZMR 96, 2012, p. 11.

33 Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), p. 78 scribit eum hōc in conexū illis in circulis primā vice officialiter apparuisse.

34 «*Akademische Mittel zur Hebung der heimatlichen Missionspflege*».

35 Iosephus Schmidlin anno 1876^o in Alsatiā erat natus. Examine maturitatis superato iuvenis optimā indole praeditus in studiorum universitate Friburgensi [Freiburg] in historiam, philologiam classicam atque theologiam incubuit. Anno 1899^o sacerdotio auctus est. Anno 1901^o in doctores philosophiae promotus est. Eodem anno Roman vocatus est, ut in historiā paparum, incepto Ludovici von Pastor, exarandā cooperaretur. Anno 1904^o denuo Friburgi in doctores theologiae promotus est et anno 1907^o Strateburgi in disciplinā historiae ecclesiasticae habilitatus est. Cum autem cum Prof.re Alberto Ehrhard, qui ibīdem cathedram tenuit, magnas dissensiones habuisse videretur, habilitationem in studiorum universitatem Monasterensem transtulit.

universitate Strateburgensi habilitatus eōdem annō Monasterium Vestfalorum³⁶ se convertit, ut habilitatione illuc translatā in studiorum universitatem Monasteriensem reciperetur. Re officiali assensione transactā Iosephus Schmidlin inde ab die 27^o m. Apr. a. 1907^o erat docens privatus, qui historiam ecclesiasticam mediae recentisque aetatis docuit.³⁷ Anno autem 1909^o impulsus non ita exspectatus datus est. Nam Borussicum ministerium rei culturalis ab universitariis facultatibus theologicis postulavit, ut in docentiā res colonicae quōque respicerentur. Hōc mandatum Monasterii Iosepho Schmidlin traditum est, qui thema libenter suscepit reique aspectum theologicum imposuit et iam spatio semestri hiemali a. 1909/10 praelationem publicam exhibuit,³⁸ cui titulus



*Iosephus Schmidlin,
postquam emeritus erat.*
Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989),
p. 282.

De vitā operibusque Iosephi Schmidlin *cfr* ex. gr. Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), pp. 13 sqq.; Thomas OHM: Joseph Schmidlin. In: Missionswissenschaft und Religionswissenschaft 1947, pp. 3 sqq.; Horst RZEPKOWSKI: Professor Dr. Josef Schmidlin, Begründer der katholischen Missionswissenschaft. In: Verbum SVD 35, 1994, pp. 147 sqq.; Karl MÜLLER: Joseph Schmidlin, Leben und Werk. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), pp. 2 sqq.; Johannes DÖRMANN: Joseph Schmidlin (1876-1944). Begründer der katholischen Missionswissenschaft. In: Jörg KNIFFKA (ed.): Martyria. Festschrift zum 60. Geburtstag von Peter Beyerhaus am 1.2.1989. Wuppertal / Zürich 1989, pp. 122 sqq.; Johannes DÖRMANN: s.v. Schmidlin. In: Biographisch-Bibliographisches Kirchenlexikon 9 (1995), coll. 436 sqq.

36 Monasterium Vestfalorum: *Münster / Westf.* - *Cfr* Carolus EGGER (1977), p. 211; GRAESSE / BENEDICT / PLECHL (1972), 2, p. 582.

37 *Cfr* Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen. In: ZMR 96, 2012, p. 12; Eduard HEGEL: Der Lehrstuhl für Missionswissenschaft und die missionswissenschaftlichen Studienrichtungen in der katholisch-theologischen Fakultät Münster. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), p. 5; Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), p. 68.

38 Spatium semestre hiemale a. 1909/10ⁱ indicant ex. gr. Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, p. 9; Johannes DÖRMANN: s.v. Schmidlin, Joseph. In: Biographisch-Bibliographisches Kirchenlexikon 9 (1995), col. 426; Johannes DÖRMANN: Joseph Schmidlin. In: Jörg KNIFFKA (ed.) (1989), p. 122;

erat «*De recentiore historiā missionum exterarum coloniis Germanicis praesertim respectis*».⁴⁹ His primis inceptis universitariis ipse quoque magis in hoc thema incumbere coepit et eiusdem momentum indigentiamque animadvertisit. Quā de causā - ut ipse dixit - hanc disciplinam magis curare decrevit.^{⁵⁰} Sed etiam academica facultas theologica Monasteriensis hac in re progredi voluit. Nam illo tempore cathedra extraordinaria historiae dogmaticae atque patrologiae non tenebatur^{⁴¹} et de Iosepho Schmidlin cogitabatur successore. Universitā facultate petente administer rei culturalis ergo die 20º m. Aug. a. 1910º petitionem concessit atque Iosephum Schmidlin professorem extraordinarium historiae ecclesiasticae cum speciali mandato historiam dogmaticam patrologiamque docendi instituit, quibus disciplinis praetera doctrina missiologica adiuncta est.^{⁴²} Itaque inde ab spatio semestri

Thomas OHM: Joseph Schmidlin. In: Missionswissenschaft und Religionswissenschaft 1947, p. 4; Karl MÜLLER: Joseph Schmidlin. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), p. 24; Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen. In: ZMR 96, 2012, p. 12; Mariano DELGADO / David NEUHOLD: 90 Jahrgänge ZMR. In: ZMR 90, 2006, p. 277; ULMS in Borken: Fünf Lustren akademischer Missionsbewegung in Deutschland. In: ZMR 25, 1935, p. 236. - Sed hanc praelectionem praebitam esse spatio semestri aestivo a. 1910ⁱ scribunt Eduard HEGEL: Der Lehrstuhl für Missionswissenschaft. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), p. 6; Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), p. 69; Horst RZEPKOWSKI: Josef Schmidlin. In: Verbum SVD 35, 1994, p. 149.

Quod haec prima praelectio revera iam spatio semestri hiemali a. 1909/10ⁱ exhibita est, clare apparet ex oratione, quam Robertus Streit die 22º m. Ian. a. 1910º habuit (Die Pflichten und Aufgaben der Wissenschaft gegenüber der Mission. In: Lorenz WERTHMANN (ed.) (1910), p. 40), ubi hanc praelectionem expressis verbis commemorat eam ut illius temporis exceptionem laudabilem significans.

- 39 «*Neuere Geschichte der auswärtigen Missionen, mit besonderer Berücksichtigung der deutschen Kolonien*».
- 40 Cfr Joesef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, p. 9.
- 41 Franciscus [Franz] Dickamp, qui hanc cathedram extraordinariam tenuerat, professor ordinarius rei dogmaticae redditus erat.
- 42 Cfr Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), p. 69; Johannes PIETSCH: Robert Streit (1952), p. 15; Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen. In: ZMR 96, 2012, p. 12; Eduard HEGEL: Lehrstuhl für Missionswissenschaft. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), p. 24; Giancarlo COLLET: German Catholic Mission Science. In: Carine DUJARDIN / Claude PRUDHOMME (edd.): Mission and Science: Missiology Revised / Missiologie revisitée, 1850-1940. Leuven 2015, p. 102, ubi non ita exakte suggeritur Iosephum Schmidlin iam illo tempore cathedram missiologiae accepisse. - Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, p. 10 et Mariano DELGADO / David NEUHOLD: 90 Jahrgänge ZMR. In: ZMR 90, 2006, p. 277 indicant hoc factum esse

hiemali Iosephus Schmidlin officialiter atque regulariter paelectiones academicaque seminaria in disciplinā missiologicā praebuit. Hunc in modum studiorum universitas Monasteriensis erat prima, in quā missiologia catholica officialiter docebatur.⁴³

Ceterum iam ipso anno 1910^o Iosephus Schmidlin id fecit, quod quoque ad condicionem missionariam publice dilatandam necessarium esse putavit, id est Monasterii academicam consociationem missionariam condendam curavit, cuius sessio inauguralis die 21^o m. Nov. a. 1910^o sollemniter instituebatur⁴⁴ pluribus oratoribus alicuius momenti praesentibus.⁴⁵ Haec studentium consociatio Monasteriensis erat prima huius generis, quam tamen paulo post plures aliae secutae sunt.⁴⁶

Mense Augusto a. 1910ⁱ denuo «dies catholicorum», qui dicitur et qui illo anno Augustae Vindelicum locum habuit, celebrabatur.⁴⁷ Ibīdem in sessionibus Commissionis missionariae diebus 24^o et 25^o m. Aug. a. 1910^o habitis textūs ab Roberto Streit et ab Iosepho Schmidlin exarati atque supra commemorati erant fundamentum disputationum. De deliberationibus autem praeviis postulatisque ibīdem positive decernebatur, cum participes unā ex parte periodicum missiologicum edi vellent, alterā ex parte et bibliographiam

autumno a. 1910ⁱ; Thomas OHM: Joseph Schmidlin. In: Missionswissenschaft und Religionswissenschaft 1947, p. 4 tantummodo de anno 1910^o scribit.

- 43 Tamen solum agebatur de cathedra extraordinaria iam extante et quoad doctrinam missiologicam extentā, non de novā cathedrā extraordinariā.
- 44 Cfr ULMs in Borken: Fünf Lustren akademischer Missionsbewegung in Deutschland. In: ZMR 25, 1935, pp. 236 sq.; Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen. In: ZMR 96, 2012, p. 12; Karl MÜLLER: Joseph Schmidlin. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), p. 21; Thomas OHM: Joseph Schmidlin. In: Missionswissenschaft und Religionswissenschaft 1947, p. 5; Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, p. 13; Robert STREIT: Internationales Institut (1923), p. 11:
- 45 Scitū dignum est in illā sessione inaugurali praeter alios etiam Abbatem Norbertum Weber orationem habuisse. - Cfr Norbert WEBER: Die kulturelle Hebung der Eingeborenen unserer Kolonien. In: Eröffnung des Akademischen Missionsvereins zu Münster i.W. Ein Beitrag zur Geschichte der katholischen Missionsbewegung in Deutschland. Münster/Westf. 1910, pp. 34-46.
- 46 Velut Tubingae (1911), Passaviae (1911), Frisingae (1912), Bonnae (1913), Bambergae (1913), Monaci (1914), Friburgi (1914), Vratislaviae (1914).
- 47 Cfr Robert STREIT: Internationales Institut (1923), pp. 11 sqq.; Anton FREITAG: Mission und Missionswissenschaft (1962), p. 91; Johannes PIETSCH: Robert Streit (1952), pp. 14 sq.; Karl MÜLLER: Friedrich Schwager (1984), p. 41; Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), p. 79.

missionarium et archivum missionarium necessaria esse putarent,⁴⁸ praeterea de academicis consociationibus missionariis atque de academicis institutio-nibus missiologicis tractarent. His omnibus rebus ea, quae deinde sequeban-tur, praeparata sunt.

Convertamus nunc breviter ad primum inceptum, quod in elenco operandi erat, nempe ad periodicum missiologicum. Hōc in conexū nunc nominandus quoque est P. Fridericus Schwager SVD,⁴⁹ qui etiam in illā motione atque in eādem promovendā generaliter erat magni momenti. Fridericus Schwager iam diutius indigentiam alicuius missiologicī periodici catholici sensisse videtur, si tardissime inde ex anno 1908^o,⁵⁰ et ad hunc scopum perpetrandum multa suscepit atque scriptum quoque memorandum de hōc themate exaravit, quod primo ad Superiorem generalem Societatis Verbi Divini directum erat, sed postea anno 1910^o Augustae Vindelicum in consultationibus periodici condendi magni ponderis erat.⁵¹ Sed Fridericus Schwager etiam de editore futuro iam deliberaverat. Putaverat enim totam rem melius promoveri, si professor quidam universitarius redactionem susciperet.⁵² Aptissimum ad hoc

48 P.ri Roberto Streit traditum est, ut programma operandi pro hac bibliographia exararet, aliis erat officium, quo res pecuniarias ad hoc inceptum necessarias curarent. Iosepho Schmidlin mandatum est, ut normas, quibus fontes edendi essent, scripto modo declararet.

49 P. Fridericus [*Friedrich*] Schwager natus erat a. 1876^o in Germanicā provinciā Vestfaliā. Idem anno 1895^o in Societatem Verbi Divini intravit et anno 1899^o sacerdotio auctus est. Iam satis mature in doctrinam missionariam incumbere coepit et multa de thematis missionariis scripsit atque variis in periodicis divulgavit. Praeterea erat redactor proprii periodici Steylensis. Anno 1919^o P. Fridericus Schwager electus est secretarius generalis Consociationis Superiorum religiosorum Ordinum Germanorum, quo munere usque in annum 1923^{um} functus est. Eodem anno 1923^o idem in Civitates Foederatas Americae Septentrionalis transmigravit, ut ibīdem periodicum missionarium redigeret (id quod deinde non est factum). In Americā deinde Societatem Verbi Divini reliquit atque ad protestantismum conversus est. - De eiusdem vitā *cfr* Karl MÜLLER: Friedrich Schwager (1984), pp. 9 sq.

50 *Cfr* Karl MÜLLER: Friedrich Schwager (1984), p. 31; Karl MÜLLER: Joseph Schmidlin. *In:* Josef GLAZIK (ed.) (1961), p. 24; Laurenz KILGER: Die Zeitschrift für Missions-wissenschaft im ersten Vierteljahrhundert. *In:* ZMR 25, 1935, p. 201.

51 *Cfr* Karl MÜLLER: Friedrich Schwager (1984), p. 31. - Josef SCHMIDLIN: Was wir wollen. Zur Einführung vom Herausgeber. *In:* ZM 1, 1911, p. 5 hōc memorandum Friderici Schwager propter observationes, deliberationes impulsūsque datos valde laudavit.

52 Ut Karl MÜLLER: Friedrich Schwager (1984), p. 32 ad scriptum P. ris Schwager Superiori datum referens adnotat, Fridericus Schwager praeterea existimavit hunc in modum adnotationes criticas de periodo, si quae evenirent, non Societati Verbi Divini attributum iri.

munus exanclandum existimavit esse Prof.rem Maximilianum Meinertz.⁵³
Cum autem īdem paratus non fuisse videtur, P. Schwager autumno a. 1909ⁱ
Maximiliano Meinertz adiuvante ad Iosephum Schmidlin se convertit, qui



*Inter consessum Consociationis Superiorum religiosorum Ordinum Germanorum
anno 1918^o Fuldae habitum:*

*P. Fridericus Schwager constitutus in ultima serie tertius a sinistris.
[Antonia LEUGERS: Interessenpolitik und Solidarität (1999), p. 448.]*

illo tempore adhuc docens privatus erat.⁵⁴ Tamen Iosephus Schmidlin diutius refragavit atque rem suscipere noluit. Tempore Paschali a. 1910^o Friderico Schwager adhuc responsum negativum dedit.⁵⁵ Nihilominus denique assensus est necessitatem incepti intellegens. Suspicandum autem est partim etiam deliberationes postulataque Roberti Streit iam commemorata hac in re Iose-

53 Maximilianum Meinertz primum ab Friderico Schwager aditum esse commemorant Karl MÜLLER: Friedrich Schwager (1984), p. 32; Anton FREITAG: Mission und Missionswissenschaft (1962), p. 90; Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen. In: ZMR 96, 2012, p. 15.

54 Cfr Laurenz KILGER: Lustrum. In: ZM 6, 1916, p. 4; Laurenz KILGER: Die Zeitschrift für Missionswissenschaft im ersten Vierteljahrhundert. In: ZMR 25, 1935, p. 202; Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, p. 2; Anton FREITAG: Mission und Missionswissenschaft (1962), p. 90; Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen. In: ZMR 96, 2012, p. 15; Karl MÜLLER: Joseph Schmidlin. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), pp. 24 sq.; Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), p. 83.

55 Sic Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, p. 2.

phum Schmidlin ad assensionem suam adduxisse.⁵⁶

Iosephus autem Schmidlin ex indole suā videtur talis vir fuisse, qui rem, quam suscepserat, magno impetu interno atque impigerrime ad effectum adduxit. Statim enim coetum coeditorum composuit,⁵⁷ ad quem praeter professores universitarios theologiae etiam sodales Ordinum religiosorum pertinebant.⁵⁸ Hunc in modum idem rem magis universalem instituere inten-debat. Tamen Iosephus Schmidlin mansit editor principalis. In primis consulta-tionibus praeter domum editoriam, pretium, modum distribuendi etiam constituebatur periodicum tertio quōque mense editum iri.⁵⁹

Interea etiam cooperatores, id est auctores, qui periodico symbolas con-tribuerunt, inveniebantur. Sic factum est, ut Kalendis Martii a. 1911ⁱ primus fasciculus novi periodici, quod appellabatur «*Periodicum scientiis missiolo-gicas destinatum*»,⁶⁰ editus est.⁶¹ Hoc periodicum ergo erat primum scien-

56 Fridericus Schwager deinde propter novum periodicum transmigravit Monasterium, ut editori labores aliquatenus facilitaret. Verisimiliter haec fuit causa primaria, sed sus-picandum est eum hoc etiam ea de causā fecisse, ut manum ductricem servaret (quod tamen in cooperatione cum Iosepho Schmidlin contingere non potuit).

57 Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, p. 3 adnotat se eosdem obiective atque secundum eorum facultates elegisse.


58 Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, p. 3 ipse ut participes ex Ordinibus religiosis indicat P.rem Hermannum Krose SI, P.rem Gutbertum Groetenken OFM, P.rem Fridericum Schwager SVD, P.rem Robertum Streit OMI, P.rem Amandum Acker CCSp, P.rem Iosephum Froberger MA et P.rem Cyrillum Wehrmeister OSB, qui ad Ottilianos pertinebat et illo tempore eorum «*Paginas missionarias*» [«*Missionsblätter*»] edidit. Karl MÜLLER: Friedrich Schwager (1984), p. 35 et Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), p. 84 loco Cyrilli Wehrmeister nominat Abbatem Norbertum Weber. Haec discrepancia inde explicari potest, quod P. Cyrilus Wehrmeister verisimiliter vices Abbatis Norberti Weber gessit. Ceterum in frontispicio primi fasciculi novi periodici, quod est «*Zeitschrift für Missionswissenschaft*», praeter alia etiam nomen Abbatis Norberti Weber legitur.

59 Cfr Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, p. 3; Karl MÜLLER: Friedrich Schwager (1984), pp. 33 sqq.

60 «*Zeitschrift für Missionswissenschaft*».

61 Cfr Laurenz KILGER: Lustrum. In: ZM 6, 1916, p. 5; Karl MÜLLER: Friedrich Schwager (1984), p. 36; Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), p. 86. - Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, p. 4 scribit primum fasciculum in fine mensis Februarii a. 1911ⁱ editum esse. - Robert STREIT: Internationales Institut (1923), p. 19 indicat «mense Ianuario a. 1911ⁱ primum annum periodici incohari potuisse». - Solum annum 1911^{um} indicant Anton FREITAG: Mission und Missions-wissenschaft (1962), p. 92; Eduard HEGEL: Lehrstuhl für Missionswissenschaft. In: Josef

tificum periodicum catholicum ad missiones spectans. Scopum autem huius incepti Iosephus Schmidlin ipse statim in primo fasciculo explicit symbolā, cui titulus est «*Quid velimus*».⁶² Ibīdem explicite scripsit finem huiusmodi periodici esse in eo, ut synthesis consona inter ipsam missionem unā ex parte atque scientias alterā ex parte institueretur, cum utraque pars, id est viri praxeos atque viri theoriae, ad veram missiologiam instituendam invicem inter se deperderent.⁶³ Quod argumenta sensū lato periodicum generatim tantummodo spectare ad missionem exteram,⁶⁴ speciatim vero imprimis historiam missionariam tractatum iri, cum hac in parte magna indigentia inquisitionis adhuc exstaret atque ex hac historiā etiam tempus praesens aliquid addiscere posset,⁶⁵ sed etiam missionem contemporaneam respici, cum causae missionis, ius missionis atque methodologia missionis essent investigandae, quā de causā praxis missionaria scientificē inspicienda esset. Etiam disciplinas laterales, velut scientias religionum, ethnographiam, linguistricam similiisque aliquatenus tractandas esse, sed tantummodo in conexū, quem cum missione habe-



Frontispicium primi fasciculi.

GLAZIK (ed.) (1961), p. 7; Giancarlo COLLET: German Catholic Mission Science. In: Carine DUJARDIN / Claude PRUDHOMME (edd.) (2015), p. 101; Horst RZEPKOWSKI: Josef Schmidlin. In: Verbum SVD 35, 1994, p. 150; Thomas OHM: Joseph Schmidlin. In: Missionswissenschaft und Religionswissenschaft 1947, p. 5.

62 Josef SCHMIDLIN: Was wir wollen. In ZM 1, 1911, pp. 5 sqq.

63 Josef SCHMIDLIN: Was wir wollen. In ZM 1, 1911, p. 7.

64 Josef SCHMIDLIN: Was wir wollen. In ZM 1, 1911, p. 8.

65 Laurenz KILGER: Lustrum. In: ZM 6, 1916, p. 5 demonstrat praeponderantiam historiae missionariae in initio quidem aliquatenus in votis fuisse, sed realiter in ipsis symbolis etiam reliquis thematis commemoratis magnum spatium praebitum esse.

rent.⁶⁶ Tamen Iosepho Schmidlin magni momenti est asseverare neque missiologiam neque eius periodicum missionem dirigere et eandem criticā non iustā obruere velle. Nam missiologiam id studere, ut toti missioni serviret.⁶⁷ Itaque omnibus materiis, quae exstant, coniunctis eandem solum investigare, inventa docere, illustrare, rem clariorem reddere velle, et haec quidem modis scientificis.⁶⁸

Periodicum ergo missiologicum catholicum non solum bonum initium habuit atque statim bene receptum est,⁶⁹ sed etiam annis insequentibus īdem opportunum progressum monstravit.

His rebus factis tota motio tamen nondum ad finem venerat. Nam eae deliberationes, quae mense Augusto a. 1910^o instigatae erant, continuabantur in conventū Commissionis missionariae, qui die 20^o m. Ian. a. 1911^o Berolini locum habuit.⁷⁰ Ibīdem praeter alia de quaestione agebatur, quomodo, ut opera praecogitata desiderataque, nempe bibliographia missionaria atque archivum missionarium, investigatione divulgationeque ad effectum adducerentur, pecunia acquiri posset. Hac in sessione denique delegato parlamenti imperialis Matthia Erzberger propositum proferente Aloisius zu Löwenstein petitionem protulit, quā Institutum investigationum missiologicarum condendum esset, quod Institutum ut societas inscripta fieret responsale pro divulgationibus praedispositis. Cui petitioni omnes praeſentes assensi sunt.

66 Josef SCHMIDLIN: Was wir wollen. In ZM 1, 1911, pp. 7 sq. - Hic solum breviter quidam aspectū futurae disciplinae tanguntur. Quale systema ipsius missiologiae Iosephus Schmidlin aliique instituerint *vide* infra cap. 4.11.2.

67 Josef SCHMIDLIN: Was wir wollen. In ZM 1, 1911, p. 7.

68 Josef SCHMIDLIN: Was wir wollen. In ZM 1, 1911, p. 8.

69 Hoc initium opportunum assensionem lectorum demonstrans commemorat Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, p. 5. - Talia ita se habuisse appareat ex existimationibus divulgatis. *Cfr* ex. gr. Wilhelm BORNEMANN: Zeitschrift für Missionswissenschaft. Rezension. In: Theologische Literaturzeitung 36, 1911, coll. 795 sq.

70 De hōc conventū *cfr* Robert STREIT: Internationales Institut (1923), p. 13; Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, pp. 6 sq.; Otto MAAS: 25 Jahre Institut für missionswissenschaftliche Forschungen. In: ZMR 25, 1935, p. 214; Johannes PIETSCH: Robert Streit (1952), p. 15; Josef GLAZIK: Das internationale Institut für missionswissenschaftliche Forschungen 1911-1961. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), pp. 67 sq.; Anton FREITAG: Mission und Missionswissenschaft (1962), p. 92; Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989, p. 79; Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen. In: ZMR 96, 2012, p. 16; Mariano DELGADO / David NEUHOLD: 90 Jahrgänge ZMR. In: ZMR 90, 2006, p. 279

Postquam statuta huius Instituti exarata atque consultationibus habitis comprobata sunt, Institutum in Commissionis sessione die 4^o m. Maii a. 1911^o Berolini habitā provisorie conditum est, ut praecōnia iam fieri possent. Quā occasione quōque sedem huius Instituti Monasterii fore constituebatur. Fundatio definitiva denique facta est die 10^o m. Aug. a. 1911^o Mogontiaci, cum inter «diem catholicorum», qui dicitur, etiam Commissio missionaria sessionem haberet.⁷¹ Illo die primus coetus generalis novi Instituti convēnit, quo eius praesidium electus est. Primus praeses redditus est Aloisius zu Löwenstein, qui hōc munere per multos annos functus est. In illā sessione coetus generalis praeterea decernebatur Institutum in duas sectiones dividendum esse, quae tamen artē cohaerebant. Unā sectio erat administrativa, cuius officium magis ad pecuniam acquirendam distribuendamque spectabat et cuius praepositus Aloisius zu Löwenstein electus est, altera erat scientifica, cuius munus erat in eo, ut opera scientifica curaret praepararetque et cui nomen «Commissio scientifica» inditum est.⁷² Huius secundae sectionis praepositus electus est Iosephus Schmidlin.⁷³ Ab initio Iosephus Schmidlin

71 De hōc conexū *cfr* Robert STREIT: Internationales Institut (1923), pp. 14 sq.; Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, pp. 7 sq.; Johannes PIETSCH: Robert Streit (1952), pp. 15 sqq.; Josef GLAZIK: Internationales Institut. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), p. 69; Edurad HEDEL: Lehrstuhl für Missionswissenschaft. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), p. 9; Anton FREITAG: Mission und Missionswissenschaft (1962), p. 92; Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), pp. 79 sq.; Mariano DELGADO / David NEUHOLD: 90 Jahrgänge ZMR. In: ZMR 90, 2006, pp. 279 sq.; Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen. In: ZMR 96, 2012, pp. 16. sq. - Thomas OHM: Joseph Schmidlin. In: Missionswissenschaft und Religionswissenschaft 1947, p. 5 scribit Iosephum Schmidlin Institutum sibi excogitavisse atque in fundatione cooperatum esse. Quod attinet ad excogitandum, haec sententia videtur non omnino exacta esse.

Ceterum Institutum demum die 30^o m. Nov. a. 1911^o in Monasteriensem elenchem societatum officialiter inscriptum est.

72 Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, p. 7 scribit se in huiusmodi Commissionem instruendam instituisse, ut indoles scientifica Instituti servaretur. Praeterea decretum esse, ut cooperatores huius Commissionis secundum qualificationem cooptarentur.

73 Eius vicegerens illo tempore erat Prof. Aloisius [Aloys] Meister Monasteriensis, secretarius vero P. Robertus Streit. Generaliter numerum sodalium futurorum esse inter quindecim et viginti homines scientificos constituebatur, inter quos essent et homines academicī et sodalis quidam Ordinis Benedictini sive Ottiliensis «Consecrationis missionariae Sancti Benedicti». - *Cfr* Josef GLAZIK: Internationales Institut. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), p. 69.

aspectum internationalem Instituti promovere atque respicere in animo habuit, quod - praesertim propter condiciones politicas - tamen non semper ei contigit. Scopus autem atque officium generale Instituti secundum statuta erat in eo, ut opera scientifica investigationesque omnis generis in catholica disciplina missiologica incitarentur atque promoverentur atque etiam cursus institutorii ad scientias missiologicas spectantes curarentur. Praeterea «*Periodicum scientiarum missiologicarum destinatum*» divulgationum instrumentum Instituti redditum est.

Dum haec aguntur, videtur «Consociatio Superiorum religiosorum Ordinum Germanorum»,⁷⁴ quā inde ex anno 1898º Ordines missionem exercentes congregati sunt, de progressu rerum Monasterii facto aliquatenus sollicita fuisse. Nam eius sodales die 3º m. Maii a. 1911º Berolini ad sessionem extraordinariam convenerunt, quā de rebus actis atque futuris consultationes inierunt.⁷⁵ Videntur enim sodales timuisse, ne his actionibus ad res missionarias spectantibus decreta exorirentur ipsis non interrogatis et ne facta ab ipsis non desiderata gignerentur, cum non falso putarent se missionariis erudiendis atque missionum operibus practicis sustentandis esse instrumentum praestans rei missionariae Germanicae, quā de causā externa mandata directoria hac in re noluerunt. Itaque sententiam suam protulerunt se Monasteriense centrum missiologicum in institutum colonicum ampliatum iri refutare et se insuper nullam coniunctionem exclusivam cum institutionibus Monasteriensibus habere velle (quamquam generaliter haec incepta esse utilia existimaverunt), e contrario se plenam libertatem reservare velle, quo missionarios suos ad eruditionem acquirendam mitterent.⁷⁶ Num hi timores verum fundamentum in re habuerint, iudicare non audeo.

Quod attinet ad studia universitaria, Iosephus Schmidlin iam inde ab illo tempore, quo in cathedram suam extraordinariam docentia missiologie includebatur, studium missiologicum sub fundamento ampio instituere desi-

74 Vereinigung Deutscher Ordensobern.

75 Cfr Antonia LEUGERS: Interessenpolitik und Solidarität (1999), p. 50; Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen. In: ZMR 96, 2012, p. 13.

76 Ea, quae Superiora in sessione extraordinaria disceptaverant, nomine eorum P. Iosephus Froberger die insequente Commissioni missionariae inter sessionem supra commemoratam rettulit.

deravit.⁷⁷ Nam ab initio efficere conatus est, ut verum institutum universitarium missiologiae institueretur, quo praeter ipsam theologiam missionariam etiam scientiae religionum, ethnologia atque linguistica docerentur. Sed academica facultas theologica, etiamsi rei favebat, tam celeriter et quadamtenus praecipitanter progredi noluit, sed primo effectū initiales exspectare atque observare voluit. Tamen Iosephus Schmidlin viam rectam ingressus esse videtur, cum illas alias disciplinas quōque in studium missiologicum includere desideraret. Scopus autem horum studiorum universitariorum erat in eo, ut unā ex parte studentes theologiae generaliter conspectum quandam missionis sibi acquirerent, alterā ex parte éadem imprimis spectabant ad studentes ex Ordinibus religiosis exoriundos, qui apti redderentur, ut deinde missiologiam in propriis scholis, athenaeis seminariisque docerent.⁷⁸

Etiamsi ea, quae Iosephus Schmidlin voluit, non statim atque immediate ad effectum adduci potuerunt, nihilominus omnia incepta plurimis laboribus sedulo exhibitis prosperum progressum monstraverunt. Illis annis Iosephus Schmidlin praeter multas symbolas in «Periodico missiologico» atque alibi divulgatas etiam libros fundamentales, quibus agebatur de variis aspectibus missiologiae, in lucem edidit. Sed etiam aliae mutationes positivae factae sunt. Nam - etiamsi institutum proprium condi non contigit⁷⁹ - condicio magis stabiliebatur, cum anno 1912^o pars docentiae, quā missiologia continebatur, cathedra extraordinaria reddita est et autumno a. 1914ⁱ éadem facta est missiologiae cathedra ordinaria.⁸⁰ Anno 1912^o academica facultas theologica

77 Cfr Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, pp. 10 sq.; Josef SCHMIDLIN: Lehrstuhl und Seminar für Missionswissenschaft: In: ZMR 25, 1935, pp. 227 sq.; Eduard HEGEL: Lehrstuhl für Missionswissenschaft. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), pp. 7 sqq.; Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen. In: ZMR 96, 2012, pp. 15 sq.; Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), pp. 71 sqq.

78 In initio nondum nimis multi studentes ex Ordinibus religiosis exoriundi Monasteriensia studia missiologica participaverunt. Höc fortasse unā ex parte cohaerebat cum reservatione «Consecrationis Superiorum», alterā ex parte cum condicione, quā res erat nova, denique - ut periti dicunt - cum indole Iosephi Schmidlin, qui erat impatiens, iracundus atque quadamtenus rixosus. Tamen numerus studentium decursū temporis auctus est.

79 Anno 1925^o ineunte ipsa academica facultas theologica demum petitionem exhibuit, quā sectioni missiologiae status proprii instituti attribueretur, tamen res non est concessa.

80 Cfr Laurenz KILGER: Lustrum. In: ZM 6, 1916, p. 12; Johannes B. AUFHAUSER: Die Pflege der Missionswissenschaft an der Universität. Diesen 1920, p. 9; Josef SCHMIDLIN: Unsere missionswissenschaftlichen Unternehmungen. In: Katholische Missionen 53, 1924/25, p. 77; Josef SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR

Monasteriensis instituendam curavit cathedralm scientiarum religionum, cum speraretur fore, ut mutui impulsūs inter missiologiam atque scientias religio-
num fierent.⁸¹ Talem cathedralm institui etiam Iosephus Schmidlin desidera-
verat. Magni momenti insuper erat iam anno 1915^o primos duos alumnos
studiis peractis in doctores missiologiae promotos esse.⁸²

Praeterea effectūs in alias studiorum universitates exserebantur, cum variis in
locis praelectiones quaedam missiologicae exhiberentur. Imprimis autem
nominanda est studiorum universitas Monacensis, ubi Iohannes Aufhauser
iam inde ab anno 1911^o mandato docentiae accepto themata missiologica
praebuit et ubi tempore vernali a. 1918ⁱ cathedra extraordinaria missiologiae
instituta est, quae Iohanni Aufhauser tradita est.⁸³ Etiam in Instituto investi-

21, 1931, p. 10; Josef SCHMIDLIN: Lehrstuhl und Seminar für Missionswissenschaft. In: ZMR 25, 1935, p. 227; Thomas OHM: Joseph Schmidlin. In: Missionswissenschaft und Religionswissenschaft 1947, p. 6; Eduard HEGEL: Lehrstuhl für Missionswissenschaft. In: Josef Glazik (ed.) (1961), p. 9; Anton FREITAG: Mission und Missionswissenschaft (1962), p. 92; Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), p. 73; Horst RZEPKOWSKI: Josef Schmidlin. In: Verbum SVD 35, 1994, p. 149; Karl Josef RIVINIUS: Missions-
wissenschaftliche Initiativen. In: ZMR 96, 2012, p. 12.

81 Primus ad hanc cathedralm vocatus est Franciscus Dölger. Sed quia eiusdem aliae res
magis intererant, hi mutui impulsūs non ita effecti sunt ut sperabatur. In successoribus
deinde condicio mutata est.

82 P. Antonius Freitag SVD opere, quod est «*Historisch-kritische Untersuchung über den
Vorkämpfer der indianischen Freiheit Don Fray Bartholomé de las Casas bis zu seinem
Eintritt in den Dominikanerorden*» et P. Maurus Galm OSB opere, quod est «*Das
Erwachen des Missionsgedankens im Protestantismus der Niederlande*». - De Mauro
Galm aliisque Ottilianis, qui specialiter in missiologiam incubuerunt, paulo fusiis vide
infra cap. 4.11.3.

De re ipsa *cfr* ex. gr. Eduard HEGEL: Lehrstuhl für Missionswissenschaft. In: Josef
GLAZIK (ed.) (1961), p. 11; Laurenz KILGER: Lustrum. In: ZM 6, 1916, p. 12; Josef
SCHMIDLIN: Lehrstuhl und Seminar für Missionswissenschaft. In: ZMR 25, 1935, p. 229;
Horst RZEPKOWSKI: Josef Schmidlin. In: Verbum SVD 35, 1994, p. 149; Thomas OHM:
Joseph Schmidlin. In: Missionswissenschaft und Religionswissenschaft 1947, p. 6; Karl
MÜLLER: Josef Schmidlin 1989), p. 138; Remigius RUDMANN: Der Beitrag deutscher
Missionsbenediktiner zur Missionswissenschaft. In: Studien und Mitteilungen zur
Geschichte des Benediktinerordens und seiner Zweige 96, 1985, p. 224. - Josef
SCHMIDLIN: Wie unsere Missionswissenschaft entstand. In: ZMR 21, 1931, p. 11 per
errorem indicat annum 1913^{um}.

83 *Cfr* Johann AUFHAUSER: Pflege der Missionswissenschaft (1920), p. 9. - Ex. gr. Anton
FREITAG: Mission und Missionswissenschaft (1962), p. 109; Josef SCHMIDLIN: Lehrstuhl
und Seminar für Missionswissenschaft. In: ZMR 25, 1935, p. 233 scribunt hanc
cathedralm anno 1919^o institutam esse. Fortasse haec discrepantia inde provenit, quod

gationum missiologicarum multa facta sunt, velut «Bibliotheca Missionum», quam P. Robertus Streit incohaverat, et «Missiologicae lucubrationes textūsque», quae series inde ab anno 1917^o edi copta est. Tamen non omnia proposita ad effectum adduci potuerunt.⁸⁴

Labores autem solum paucos annos tranquille atque sine perturbatione progrederi valuerunt, tunc primo bello mundano saeviente omnia disturbata sunt. Primis annis belli efflorescentia missiologiae nondum tacta esse videbatur,⁸⁵ sed in fine belli et praesertim annis postbellicis effectus animadvertebatur, cum Germania colonias suas amisisset, publicam intentionem in missionem et in missiologiam minutam esse. Praeter pecuniarias difficultates rei publicae etiam nonnullae mutationes in cathedralis universitariis Monasteriis missiologiam annis vicesimis saeculi vicesimi ad crisim quandam adduxerunt, quae tamen aliquatenus superari potuit.⁸⁶

Illis annis vicesimis praeterea «Periodicum scientiis missiologicis destinatum» mutationem quandam subiit, cum anno 1928^o non solum eius nomen in «Periodicum scientiis missiologicis et scientiis religionum destinatum»⁸⁷ transformatum est, sed etiam eius themata tractanda hunc in modum ampliata sunt.⁸⁸ Hanc vero mutationem Commissio scientifica Instituti investigatio-

Iohannes Aufhauser orationem suam inauguralem die 18^o m. Iun. a. 1919^o protulerat (*cfr* Johann AUFHAUSER: Pflege der Missionswissenschaft (1920), p. 25, adn. 1).

- 84 Josef GLAZIK: Internationales Institut. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), p. 72 iudicat causam, cur proposita Instituti solum partim expleri potuerint, in mancā cooperatione atque in simultatibus internis sitam fuisse. Similiter Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen. In: ZMR 96, 2012, p. 17.
- 85 Inter primos annos belli dissensio exorta est cum «Societate Francisci Xaverii», quae dicitur, et cum Iesuitis, in quam etiam Iosephus Schmidlin, P. Fridericus Schwager, «Periodicum scientiis missiologicis destinatum» et Consociatio Superiorum religiosorum Ordinum Germanorum involuti erant. Agebatur - brevissime dictum - de novis impulsibus, quos Iesuitae huic societati dare voluerunt et qui aliis videbantur esse conamen ad monopolium in rebus missionariis instituendum. - Fusius de hac quaestione *cfr* Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), pp. 153 sqq.; Karl MÜLLER: Friedrich Schwager (1984), pp. 92 sqq.; Antonia LEUGERS: Interessenpolitik und Solidarität (1999), pp. 101 sqq.
- 86 *Cfr* Eduard HEGEL: Lehrstuhl für Missionswissenschaft. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), pp. 11 sqq.
- 87 *Zeitschrift für Missionswissenschaft und Religionswissenschaft.*
- 88 *Cfr* Mariano DELGADO / David NEUHOLD: 90 Jahrgänge ZMR. In: ZMR 90, 2006, pp. 281 sqq.; Laurenz KILGER: Die Zeitschrift für Missionswissenschaft im ersten Vierteljahrhundert. In: ZMR 25, 1935, p. 209; Eduard HEGEL: Lehrstuhl für Missions-

Zeitschrift für Missionswissenschaft und Religionswissenschaft

In Verbindung mit Prof. Dr. Andreas Böhm, Prof. Dr. Antonius Müller-Münster, Prof. Dr. Böhmer-Breitkopf, Prof. Dr. Dr. Heinrich-Heine, Prof. Dr. Hoffmann, P. S. M. S. Simberg, Prof. Dr. Ritter O. S. N. St. Odilia, Prof. Dr. S. J. Bonn, Dr. Dr. Otto Maria O. M. W. Wiederholt, Prof. Dr. Steffes, Prof. Dr. H. Müller, Prof. Dr. A. Stell, Prof. Dr. S. B. Böckeler, Prof. Dr. G. Schmidlin, Prof. Dr. A. K. Khan und Prof. Dr. J. Klemm, p. Dr. Gerhardo Müller O. M. Cen-Chau und Prof. Dr. J. B. Steffes Münster i. W.

herausgegeben von

Prof. Dr. Josef Schmidlin in Münster

Achtzehnter Jahrgang / 1928



Schindorfische Verlagsbuchhandlung, Münster i. W.

Z 55-474

Frontispicium primi fasciculi periodici
transnominati.

assensi sunt.⁹²

Hic brevis conspectus nunc hactenus, quo agitur de initiis missiologiae catholicae.⁹³

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 205, 2016, pp. 331-352.]

wissenschaft. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), p. 13.

- 89 Fortasse impulsus ad hanc mutationem faciendam praeter alia etiam inde exortus est, quod anno 1926^o Iohannes Petrus Steffes successor Francisci Dölger vocatus est in cathedram Monasteriensem scientiarum religionum. Qui statim se in quaestionibus missiologicis cooperari paratum esse declaraverat atque se redactioni quoque periodici missiologici adiunxit.
- 90 Cf. Josef SCHMIDLIN: Missions- und Religionswissenschaft. In: ZMR 18, 1928, pp. 1 sqq.
- 91 De argumentis, quae ad coniunctionem inter missiologiam atque scientias religionum aliasque disciplinas spectant vide infra cap. 4.11.2.
- 92 Sic expressis verbis Laurentius KILGER: Die Zeitschrift für Missionswissenschaft im ersten Vierteljahrhundert. In: ZMR 25, 1935, p. 209. - Fortasse significans pro eius sententiā est eum in hac symbolā periodici titulum priorem asservavisse.
- 93 De eventibus, quibus res continuata sit, vide infra cap. 5.

num missiologicorum decreverat.⁸⁹ Ipse Iosephus Schmidlin symbolā quādam programmaticā hunc gressum explicuit, cum demonstraret periodico ipsi - servatā eius indole genuinā - atque utrisque scientiis hanc amplificationem esse emolumento, cum et missio propriis investigationibus missionariorum in ipsā regione missionariā factis multum attribueret scientiis religionum et scientiae religionum earumque cognoscentiae ipsis missionariis eiusque laboribus auxilium ferrent.⁹⁰ Putandum est hanc artiorem cooperationem Iosepho Schmidlin omnino non displicuisse, cum iam inde ex anno 1911^o saepius asseveravisset scientias religionum ad studia missiologica esse necessarias.⁹¹ Tamen non omnes cooperatores huic decreto «laeto animo»